



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 18. Virgo in vrsæ speciem mutata ne violaretur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

ne in incerto esset, cur id mali ei accidisset, continuo sana euasit. Quæ vnquam femina opportunius ægrotauit? quæ pulchrius monstrum mundo exhibuit? Nisi velis heroidem illam, illud patientiæ prodigium illi antepone. *Virgo fuit Lydvina, domo Hollanda, patriæ suæ decus immortalis, quæ ne virginitatem perderet, formæ decus, quod in ea summum, petijt sibi auferri ab eo, qui facilis esse solet ad istiusmodi virginum votum. Sed & morbus addidit, ne proco alicui volupe esset, morborum conflugem in vnius corpusculi angustijs hospitantem cum sponsa domum ducere. Itaq; mansit in domo paterna, ubi videre erat adolescentulâ membrorum omnium officio orbatam, manibus, genibusq; monstri instar, reptantem, & nunc trunco, nunc scabello per domus angulos se promouentē. Sed alius sibi locus postulat morborum numerum & genera, quæ hanc virginem, sideris instar micantem, deuastrauerunt. Hic satis est, ostendisse, quibus monilibus Deus sponsas suas exornet, vt seruet. Quod etiam de S. Petronilla quidam memorauerunt, deformata corpore, ne animo deuenustaretur.*

§. XVIII.

Virgo in vrsa speciem mutata, ne violaretur.

Si,

Maxim;
Sandæus
in schola
affectuū
pior. dec.
8. n. 3. ex
Surio.

Si, quod Salomon in Canticis Cantico-
rum fecit, vt nuptias amoremq; spiritua-
lem, ac supernaturalem animæ nostræ
sponsum, nuptijs, amoremq; & sponsis na-
turalibus exprimeret, idem mihi fas esset,
dicerem Christum in historia sanctissimè fe-
cisse, quod in fabulis Poëtæ finxerunt ab
iniqua Iunone impiè factitatum, cum Ca-
listo vitium passa, in vrsam est mutata.
Christus aliam non violatam mutauit; sed
ne violaretur, sub vrsi forma seruauit il-
libatam. Res digna est stilo, quam pereru-
ditus Theologus meritò in exemplum vir-
ginæ constantiæ recensuit, atque in veri-
tatis testimonium sibi notam eam virgi-
nem affirmavit, *Claram re, nomine, & ope-
re*. Hæc ea forma atq; ætate fuit, quam
in vrbe certatim adolescentes ambiuissent;
vt ergo vitam castam Deo dedita ducere
posset, rure maluit, atque in vili villula
degerè, quàm in ciuitate, atque inter iu-
venes quotidie periclitari. Inuidit Orcus
hunc illi locum, quare de portu eam cona-
tus est in procellas retrahere. Ad quod
consilium duo subsidia adhibuit, & quòd
nubilus esset scilicet, & quòd paupercula.
Terræ igitur illius dominus vi conatus est
illam

Ioan. Ni-
der. lib. 2.
Form.
cap. 10.

illam in matrimonium dare seruo suo, ut ex eo matrimonio mancipia adipisceretur. Duo sunt modi, quibus isti tales utuntur, blanditiæ & minæ. Blanditijs prius uti placuit. Sed quia eas omnes forti pectore reiecit puella, ad minas animum conuertit dominus, qui, (cùm illa Spartana generositate respondisset: *Ingenua, scio, sum corpore, sicut omnis parentela mea testatur: idcirco libera castimoniam elegi, quam absit ut Deo subtraham, & tradam homini,*) in iram exarsit. Utq; superbi solent, qui nihil sibi sine contemptu negari arbitrantur, vi agendum ratus; ut quod illecebris non poterat obtinere, minis terroribusq; impetraret, more tyrannorum. Verùm quia generosas animas minæ minùs percellunt, quàm infidiosæ blanditiæ, denuò illa dixit, se minas non morari, neque verò etiam cruciatus, si mille astarent carnifices cum omnibus suis tormentis, nunquam tamen se in nuptias consensuram. Exitit hinc magnū certamen inter virginis constantiam, & pertinaciam domini. Seruilis vitæ & conditionis rusticus seligitur, ei coniugium. Claræ destinatur, si pati inuitam cogeret, quod facere voluntaria nolebat. In hanc

rem turris aperitur, reis custodiendis ac furibus asseruandis alioqui destinata. In eam ambo deducuntur, compinguntur, includuntur. Ibi fuit virtutis & flagitij palæstra. Sed fortior fuit virtus. Illico enim inuicta virgo in angulum carceris se recepit, è quo tutiùs pugnatura, fronti, ori, pectori crucis figuram impressit, inuocataq; diuina ope, iuuenem allocuta.

Antea, ait, moriar, quàm sit tibi copia nostri.

Video enim quousque tu, & dominus tuus tendatis. Violentia uti si voles, violentè peribis. Elige de duobus vnum; aut mihi non appropinqua, meque intactam relinque; aut si me inuaseras, quando aliter me defendere non possum, occidam te, manibusque feminæ diceris interemptus. Erat enim Clara hæc robusto corpore, & viribus valida, castitatisq; amore ardens. Vix hæc dixerat, cum repentè alia fieri visa est, figuramque amittere qua iuueni placebat. Siquidem

Ouid. l. 2.
Metam.

*Brachia cœperunt nigris horrescere villis,
Curuariq; manus, & aduncos crescere in
ungues,*

Officioq; pedum fungi, laudatq; quondã

Ora

Ora viris, lato fieri deformia rictu.

vox iracunda minaxq̄,

Plenaq̄, terroris rauco de gutture fertur.

Hoc prodigio perterrefactus rusticus horrendum in modum cœpit vociferari, magnisque clamoribus dicere, ad eos, qui pro foribus stabant: *Aperite, queso, carceres, aperite, ursam, non coniugem mihi dedistis.* Accurritur, referantur fores, exilit infelix nuptus. virgo pristino schemate humanaq̄; facie astat, & gaudet se ursam potius egisse, quàm lupam; quæ dimissa è turri, postea sine interpellatione Deo feruire permissa est. Fratrem itaque iuuenem, & multas alias virgines ad idem virginitatis consilium attraxit, docuitque in paupertate & castitate superis parem vitam agitare. Et quia audierat, gratius esse Deo, si virginitatem voto stabiliret, quinquagenaria demum votum castitatis, coronidis loco, antea actæ in tot meritis vitæ adiecit. I nunc, & dic monstra in mundo non esse debere, quæ diuinæ prouidentia sapientiam bonitatemque tantopere commendant. Quamuis enim ordinem naturæ mutare videantur, tamen Numinis ordinem non inuertunt. Rectè igitur D. Augu-

S. Augustinus
lib.

Medit.
cap. 29.


stinus Deum ita laudat : *Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque tadio regis, & nihil est, quod perturbet ordinem imperij tui, vel in summis, vel in imis.*

CAPVT XII.

Quarta monstrorum caussa diabolus se transfigurans, ut probeat, terreat, puniat, & suam deformitatem detegat.

§. I.

Varia Dei, varia diaboli caussa ob quas monstra inducunt.

 *Aussam dixi, ob quam Deus benignissimè voluerit virginem, instar vrsæ apparere: hac enim forma perterritus est lupo, qui òui insidiabatur. Quo pacto autem, in vrsæ specie virgo fuerit tecta, non puto esse disputandum. Sunt enim Deo multi modi, quibus id fieri potuit. Benefecit, quocumque demum fecit modo; dum texit, protexit. Malus dæmon, simia Dei, producit & ipse monstra, Deo vel iubente, vel permittente; sed longè alio fine. Id enim Deus facit, ut potentiam*